

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLV.

VD18 90538889

XLVIII. Dissertatio Medica, De Capite Obstipo.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

X L V I I I

D I S S E R T A T I O

M E D I C A,

D E

C A P I T E O B S T I P O,

Quam Praefide

B U R C. D A V. M A U C H A R T P. P.

Publice tuebatur

G E O R G. F R I D. J Æ G E R

S C H O R N D O R F F I E N S I S

Tubingæ 14. Decembris anno 1737.

A a a z



XLI
DISSERTATIO
MEDICA
CAPITI OBSTICO
anno 1732
BURG DVA. MARCHART P.E.
GEORG FRID. JAEGER
SCORNDORFENSIS
anno 1732

A. S.



Landesbibliothek Oldenburg

Σ. Θ.

DE Capite *Obstipo* dicturo, quantum per ingenii tenuitatem fieri poterit, necessarium mihi visum fuit, ut primo loco vocabuli *obstipi* originem, vim atque significationem follicite enodarem atque excuterem: non saltem quod in omni disciplina, onomatologia explicata, felicius ad rerum cognitionem deducamur, sed &, quod putem, vocabulum ipsum non adeo tritum esse, nec ejus notionem per se omnibus patere, ut examen philologicum, ceu superfluum, sicco pede transire debeam.

Etiam si vocabulum *obstipus* apud autores latinos, quantum ego quidem memini, non occurrat, nisi junctum vocabulis caput, cervix adeoque adjective tantum adhibetur, idemque significet ac caput obliquum, sive in humerum reflexum, *ein Haupt, so man auf die Seite beugt, ein krummer Halß*; tamen id Lexicographi ceu Substantivum quoque annotant, intelligentes idem, quod nos sub voce germana *ein Krumm-Halß*, id est, hominem, cuius caput est obstipum, cuius collum est rigidum, instar stiptis, aut incurvatum.

Obstipare autem a verbo *obstipare* venit. *Obstipare* verticem apud Plautum idem significat, ac caput rigidum & inflexum tenere. *Obstipare* à verbo *stipare* formatur: de cuius origine plura v. apud Beermannum de originibus linguae lat. p. 473. & in Fabri Thesauro. Quod Latinis est *obstipum*, id *Græcis λοξός*, & *ο*, maxime, *γωνιώς*, obliquus, curvus, non rectus & cæt.

Versum ex *Arati Phenomenis* stellam leonem describentis.

Λοξὸν δὲ ἐστὶ κάρη γένουτι δὲ πάμπαν ἔοικεν
Αὐχηνὸν εἰς Ἑλίκης χεῖν. &c.

sic latine reddidit Cicero :

Obstipum caput & tereti cervice reflexum
Obtutum in cauda majoris figere dicas.

v. Cicero L. II. de Nat. Deorum.

De vocibus *σκολιός* & *γωνιώς* autem plura legi possunt in *Scapulae Lexico Græco-Latino & Castelli Lexico Medico*, quippe quæ tam de omni incurvatione & obliquitate in genere, quam & in specie de partium ossium tortuositate usurpantur. Perlepide atque scite utuntur autores phrasim *cæpitis obstipi*, quando signa atque characteres distinctivos & quasi proprios certarum hominum actionum, animi affectuum, morum atque gestuum depingere atque ante oculos ponere volunt. Sic Suetonius arrogantium Tiberii arguens, scribit de eo *cap. 68.*

Incedebat cervice rigida & obstipa : adducto fere vultu, plerumque tacitus : nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone &c.

A a a 3

Hora-

Vocabuli
obstici ex-
amen.



Horatius Serm. L. II. Sat. V. ubi captatores testamentorum insidiososque adulatores informat, canit :

- - *Davus sis Comicus atque
Stes capite obſtipo, multum ſimiliſ metuenti
Obſequio graffere.*

Miles apud *Perſium Satyr. III.* philosophiam atque literarum studia contemnens, de attentis atque cogitabundis ita pronunciat :

- - *Quod ſapiō, ſatiſ eſt mihi, non ego curio
Eſſe, quod Arceſtilas, aerumnofisque Solones
Obſtipo capite, & figentes lumine terram
Murmura cum ſecum & rabiōſa silentia rodunt.*

Unde & vocabulum hoc transfertur ad gestus iſtiſ hominū genetris, qui æque in inceſſu fucosam pietatem affectant, ac in omnibus ſuis actionibus :

Itemque ad subdolos exploratores, ſimulatores fraudumque architec-
tos :

Et denique ad perſonas ignobilis atque inconciuæ corporis ſtaturæ ; unde & *Scaron Poeta Gallus* cecinit :

Parmi les Torticolis

Je paſſe pour des plus jolis.

Torticoliſ autem substantiue & adjective ſumitur idemque significat Gal-
lis ac Germanis *ein Krumm-Halß* & *ein krummer Halß*. Voce ipſa tamen non occurrente niſi ſtilo ſimplici, comico, fatyrico adhibito. vid. *Diction. de la langue Françoise de P. Richelet. Basle 1735.*

Caput obſtipum morbus. Sed mittenda haec ſunt,
Medico mihi

*Caput obſtipum ceu morbum tibi ſttere mens eſt, lector
benevole, morbum, inquam, male conformatiōis, quo cui invito cervix
cum capite antroſum & transverſum in alterutrum humerum violenter diſtor-
tum & reclinatum eſt, ita, ut vel plane non ſive proprio voluuntatis motu,
ſive alieno auxilio accidente, retrahi queat, vel retractum, tamen proprio
motu erectum detineri nequeat, quin potius ſemper in alterum latus denuo re-
trahatur cadaque.*

Morbus ab authoribus neglectus, rarus & gravis eſt. Et cur ? Quemadmodum plurimi anatomicorum trūnicum humanum neglecta atque omitta colli conſideratione in tres ventres diſiferunt, ita quoque horum methodum ſequentes tantum non omnes, à quibus historias morbo-
rum confignatas habemus, ſingulos affectus in morbos ſupremi, medii &
infimi ventris diſtribuerunt, nulla ratione habita ad morbos collum & cer-
vicem occupantes. Patet hinc cur nullus de capite obſtipo in ſystematibus
medicis fermo ſit ? Cur *Bootius* caput obſtipum inter affectus omiſſos re-
cenſuerit ? Eſt vero & hic affectus per ſe rarus. Modo allegatus *Bootius*
ſemel tantum eum ſibi obſervare licuiſſe dicit, & *Henr. Meibomius in Pra-
fat. ad Observ. Med. de affectibus omiſſis hujus Bootii* affirmat, talia non
teme-



temere in praxi occurrere & vix ab historicis Medicis, nisi à *Platero* & chirurgo Gratianopolitano *apud Riverium* annotata legi. Unde vulgum etiam (qui plerumque, quæ quotidie non occurrunt ad τὰ Θεῖα refert) in his incantamenti suspicionem aut ad minimum veneni habere solere. Sed nec eo levior morbus, quo rarius est.

Aīs igitur, cur tu proinde propria experientia non edoctus audes scribere de morbo tam raro, tam gravi, a paucissimis annotato, a nemine explicato? Dicam: eo ipso & eo magis placuit thema, quo rarius est, & a nemine, quantum ego novi, hactenus ex professo pertractatum. Dein scias velim affectum hunc thema practicum fuisse nuperrime mihi a *Gratiosa facultate medica* in examine rigoroso resolvendum propositum. Si hinc præceptoribus licuit & placuit in materia adhuc obscura & minus cognita ingenii mei vires tentare, cur non & ipse ego publicum pro gradu Doctoris obtinendo specimen editurus tentem quid valeam? Accedit, quod hic ipse morbus duobus fere abhinc annis crucem fixerit & adhuc figuræ primæ caveæ in patria Medicis in III. subjecto quodam necdum penitus devictus, mihi vero licuerit esse adeo felici, ut cum ipsis de eo conserendi, ejus historiam colligendi consiliaque introspiciendi facultas gratiose concessa fuerit. Collegi denique similes aliorum observations & casus analogos, quotque invenire potui, & in hanc, quam tibi sisto, L. B. & quam æqui bonique consulas *Differationem* transluti,

Sub diversis nominibus atque titulis suas de nostro morbo observations nobis reliquerunt scriptores Practici. Phrasî capitis obſlîpi utuntur *Tulpius in observat. suarum L. IV. c. 58.* *Illustris Salzmannus in Act. Phys. Med. Vol. II. Obs. 98. Wepferus in observat. de affectibus capitis in contextu observationis 64. quam de perturbatione cerebri inscribit.* Ipsius vero quibus titulis morbi historiam affert idem *Wepferus obſerv. III. sub titulo Convulsoris particularis*, quam & in textu *Tractum* vocat. A *Platero Obſerv. L. I. p. 133.* vocatur morbus *sphasini species*, in qua caput ad sinistrum latus torquebat: A *Boneto in sepulchret. L. I. Sect. 13. obs. 33.* capitis iuſinistrâ partem *Convulsio*. A *Roeslero vero colli Paralysis in Eph. N. C. Dec. I. ann. 3. obs. 324.* A *Nuckio Collum incurvatum in Experimentis Chir. experimento 26.* A *Schenchio collum tortuosum, inflexum in Obſerv. suarum L. I. fol. 99.* A *Bootio Capitis Distortio in Obs. de affectibus omisſis cap. 5.* ubi obſeryatio ex *Riverio* allegatur. In libris germanico idiomatico scriptis affectus mentio fit sub titulis *von Krumm Hälßen*, *von verdrachten Hälßen*, vid. *Heijers Chirurgie*, ubi simul allegata legi possunt, quæ *Solingens*, *van Meekren*, *Roonhuyzen* de eo nobis consignata reliquerunt. Et sic habe tibi simul, L. B. omnes, quoquot sollicite inquirenti mihi innotuerunt, autores, qui morbi, cuius historiam sine ulteriori mora exponendam jam aggredior, mentionem fecerunt.

Dubito, an in descriptione morbi nostri pag. 5. exhibita sufficienes notas, signa atque characteres attulerim, quibus ipsum omni tempore & ab aliis affectibus.

Thematis
electi rati-
ones.

Autores,
qui de ca-
pitate obſti-
po scrip-
toſe
runt & sub-
titulis.

Differen-
tiae morbi
ab aliis af-
fectibus.



sub omnibus circumstantiis cognoscere, & de omni alio consimili & agnato morbo dignoscere queas: hinc præcipuas aliquot differentias huc ponendas esse necessarium esse judicavi.

Sic differt à capite obſtipo ille morbus, quem Germani etiam vocant *ein krummer Hals*, & qui est species Rheumatismi aut Erysipelatis collum sive cervicem occupantis, calore, rubore, febre, curationis facilitate, durationis brevitate & cæt: agnoscendi & distinguendi.

Nec confundes cum affectu nostro illam convulsionis speciem, quam spasmum flatulentum, aut tensionem & crampum, germanice *einem verrenckten Hals*, vocant, si cogitas, oriri illum simul & semel à violenta & ex improviso facta muscularum caput moventium contractione & cito iterum remittere.

Neque illud caput dicendum est obſtipum, quod sub motibus spasmoidicis sive universalibus sive particularibus diutiuscule ad unum latus plus, quam ad alterum intortum & obliquum figitur atque detinetur:

Multo minus antrorum ad sternum & costas capitis tractio, incurvatio & inclinatio in decrepitis, in iis, quibus musculi abdominales accurati sunt, quibus spina dorsi rigida & incurvata est, uti exinde perpetua capitis incurvatio ad ultimas costas allegatur in *Eph. N. C. Dec. II. ann. 6. obs. 161.* vocari potest caput obſtipum.

Phænomena antecedentia. Causas morbum nostrum dispositive, excitative & directe antecedentes paucas ex aliorum observationibus allegare possum; sed nec omnes possibiles, quas fingere facile possem, huc ponere necessarium est.

A nativitate obſtipi fuerunt ægri, quorum mentionem faciunt *Roonhuyſen* & *Tulpius*. Hinc dispositio hereditaria; morbi & variae injuriæ externæ, quas tempore graviditatis mater perpeſſa est, huc facere poterunt. Varii errores circa infantum & puerorum educationem commissi accusari merentur: maxime vero frigus ad corpus infantum vario modo admissum: In genere enim longa & certa experientia conſtat, infantes, quos in lecto & extra lectum aeri frigido exponunt, quos super lapides frigidos federe finunt & cæt. rigiditatem, contracturas, distorsiones & incurvaturas incurrere, germanice *werden krummharrig*.

Collum autem, ut jam de omni ætate loquar, magno errore minus contra frigus defendimus ac omnes reliquas corporis nostri partes, præprimis noctu in lecto, reliquo corpore bene tecto, æstuante & transpirante, neque lecti stragulis neque capitio munitum est: hinc frigus liberæ in illud agit: ad morbum nostrum disponit, vel illum actu product. Hinc forte venit, cur quidam flexuosa cervice cubitum eunt, altero mane rigida & obſtipa cervice surrexerint? Intelligitur etiam, cur hyeme, cur post peracta itinera tempestate pluvia, nivosa aut per regiones frigidas e. g. per Alpes, cur in trajectibus trans mare & lacus, cur post subitaneas aëris maxime calidi in frigidum mutationes, cur in subjectis harum & frigoris impatientibus, cur in subjectis ad sudores pro-



proclivibus, cur post rudes labores peractos aut vehementiores corporis motus, cur flantibus certis ventis, hoc est, qualitates aëris explicatas advehentibus & cæt. observetur morbus?

Qui & annotatus fuit in subjecto, quod antea capite solito altius posito dormire necesse habebat, quod non nisi difficuler aut & plane non in sinistro latere decumbere poterat, quod vestes & maxime collare stringi ægerrime aut nullo modo ferebat.

Hunc & produxit vehementior animi motus teste *Meibomio in prefatione ad Bootium. Wepferus in suo de capitis affectionibus libro observ. 64. de perturbatione cerebri inscripta dicit de ægro suo: quando nunc tædiosus est, caput obstipum fit, alias caput pro lubitu movet: Et Bonetus L. I. S. 13. O. 33. de ægro suo nihil refert, nisi quod fuerit melancholicus.*

Omnium vero frequentissima hujus morbi occasio sunt destillationes, defluxiones catarrhosæ in occiput, nucham, cervicem, humerum, glandulas faucium, partes colli externas: maxime vero recurrentes & cum febre, tensione violenta, dispositione ad abscessum conjunctæ, aut & negligentes & inepte tractatae. Coryzam, stuporem capitis diuturnum, rigiditatem antecellisse memorant. Per unguentum quoddam mercuriale, quod ab empirico acceptum, collo aliquoties ob, nescio quas, eruptions illevarat *Bootii ægra*, morbum hunc sibi accersivit & ex alio simili emplastro recidivas palsa est. Fermentum quoddam venereum intra corpus delitescens originem mali præbuit in ægroto *in Riverianis observationibus notato*. Et sane sunt mihi rationes, cur inquirere moneam in examine morbi, annon patiens ipse, anno ipsius parentes lue venerea infecti fuerint olim? annon mercurialibus medicamentis usi fuerint? Tandem & aliae injuriæ externæ seu cause inveniuntur e. g. ictus circa colli partes recepti, onera graviora capite gestata, lapsus graviores.

Cariem offis occipitis & superiorum colli vertebrarum non ut phænomenon antecedens, sed ut concomitans exponit quidem *celeberrimus D. D. Salzmann*. Sed cum bis id observaverit, quæstio foret, annon forte caries ista causa fuerit capitis obstipi? ad quam tamen potius negative quam affirmative responderem. Colli vertebrarum subluxationem non allego, cum si fiat, cum aliis gravissimis symptomatibus conjuncta sit: tamen aliae circumstantiae morbum interdum concomitantes ejus suspicionem movere possunt, quales fuerunt ex. gr. in ægroto, cuius historiam *III. Salzmannus* describit, stupor & sensus imminutio in extremitatibus inferioribus notabilior quam in superioribus.

Supra jam pag. 5. morbum nostrum ita descripsi, ut ex signis ibi phænomena allatis non obscure cognosci possit: & sane quibusvis hominem capite na confititudo incidentem intuentibus patet facile, omnibusque agnoscentibus, tuenta & ideo erectum & celsum hominis caput constitutum esse, ut Creatoris sui concomitantia.

Tom. II.

B. b. b. cognititia.



cognitionem, cœlum intuens capere possit, omniaque in ipsius figura non modo ad usum, verum etiam ad venustatem apta facta esse.

Quibusdam autem iisdemque plurimis caput obſtipum est cum rigiditate atque tensione ſumma ad alterutrum latus, ut neque voluntario motu neque manuum opera, neque per alium violentia quoque adhibita in rectum aut oppofitum ſitum ſenſibiliter retrahi impellique queant: aliis caput non adeo obſtipum eſt, quin libere & ſponte ſua in quamcumque partem & in latus oppofitum id movere poſſint, ſed niſi studio caput erectum fervare annitantur, aut quamprimum ſui obliviſcuntur, in alterutrum illud latus iterum delabitur, aut & violento & involuntario motu, velint nolint, in priftinum vitiosum ſitum retrahitur: nonnullis, niſi manu ſuccurrant, caput in locum ſuum reducere atque dirigere non licet, qua ablata statim in alterum illum ac diſformen ſitum revertitur.

Attentione iterum dignum eſt, quod caput quibusdam & quidem plurimis continuo ſine ulla intermiſſione noctesque diesque & eodem modo & gradu obſtipum fit, aliis vero & paucioribus non niſi per paroxyſmos quaſi aut periodos obſtipum fiat: ad illorum claſſem referendi eſſe videntur, quibus nullum plane capitis motum amplius exercere liſet, ad horum vero claſſem, qui proprio voluntario motu quaquaeretur caput ſuum movente poſſunt. Ita enim *Meibomius* de altero fuorum ægrorum ſcribit in *prefatione dicta*: „Neque vero ſemper eodem modo ſe habebat, ſed „per paroxyſmos nunc pejus nunc melius, ita, ut interdum non niſi „levem quemdam capitis motum & tremorem quaſi, magis tamen ver- „ſus ſinistrum latus animadverteret.

Quibusdam intermiſſiones non ſunt niſi nocturnæ, morbo interdiu re- deunte, & moleſtius affiſſe; tamen *Weferus* affiſſat loc. cit. obs. III, pridem hunc traectum noctu tantum afflixiſſe ægrum ſuum, nunc etiam interdiu, ſed constantioris & recentioris observationis eſt, caput paulo minus obliquum apparere, ſi ægroton in lecto decumbat. Videtur enim certus caloris gradus morbum aliquo modo mitiorem reddere; nam & minus diſtortum putant eſſe collum, quando ex. gr. pelle leporina probe munitum eſt.

Porro Tirolensem quemdam morbus invadebat potiſſimum circa coenæ & prandii tempus: „Memini, ait *Meibomius*, cum primum ori bolum im- „mitteret, tanto impetu invaſiſte malum, ut abire mensa impransus & „cedere vicino demenſum ſuum cogeretur. Habebat idcirco, quoties men- „ſa affidebat, fedile quoddam cum appendicibus in superiori parte ita „ſtudioſe paratum fulciendo capiti ejusque involuntario motui præcaven- „do. Mirabar circa ordinarium coenæ, prandii autem potiſſimum tempus, „paroxyſmos ingruere. Sed extra ordinarium illud cibi ſumendi tempus, „licet comederet, non exacerbabatur. Huc & transcribendum eſſe puto, „quod *Bootius* de femina 56. annorum juxta capitis diſtortionem vaporum suf-



suffocativorum in guttur ascensu simul vexata annotavit: quod scil. „ si „ inter comedendum, ac dum ipsa buccellam aliquam deglutiebat, illa „ duo symptomata, nimurum distorsio capitis & vaporum ascensus, in idem „ momentum coinciderent (id quod fiebat aliquando) in praesentaneum „ strangulationis periculum incideret: quum alioquin vapores illi alio tem- „ pore deglutitionem nullo modo impedirent.

Dolor capitis, colli, cervicis, humeri, scapulæ, dorsi in uno vel utroque latere obvius, vix notabilis aut & nullus morbo junctus esse obseratur, interdum levis capitis stupor, gravitatis aliquis sensus & cætadsunt.

Partes quoque modo nominatae & his vicinæ, sine dolore tangi tractarique possunt, nullo quoque vitio externo, in sensus incurrente, levem tamen aliquem tumorem collum occupantem in subjecto quodam apparere nuperrime observatum fuit. Tanto cum impetu etiam interdum caput trahi annotarunt, ut manu succurrere cogeretur æger, veritus, ne plane intorqueretur.

Decubitus in lecto in latus obſtipum quibusdam impossibilis, aliis molestus, nonnullis indifferens est. Jungebatur in ægro *apud Riverium* continuus mandibularum motus, sic ut linea continuo inter dentes habere cogeretur, que identidem mordens brevi comminuebat. *Bootius de ægra*: sua recenset, quod in singulis respirationibus pectus illi deorum trahi videretur, & veluti chorda ab umbilico ad sternum pertinente, valide versus ventrem convelli.

Adest aliquando simul reliquarum cervicis, humeri & brachii partium rigiditas, aliquando tota spina est rigida. In pluribus incurvations, prominentiae spinæ dorsi, variae cyphoseos & rhachitidis species junctæ observantur.

Alter toto semper corpore ad illud latus propendulo, ad quod obſtipum latus reclinatum est, stare, sedere, incedere cogitur: alteri tractio tanta est, ut continuo lapsum in illud latus minetur, neque nisi baculo innixus aut pondere gravi multarum librarium humero imposito erectus obambulare possit. Iterum nonnulli aliorum aut ad latus oppositum respicere volentes necesse habent, ut totum suum corpus moveant atque circumvertant, & alii e terra nihil tollere possunt, nisi toto corpore in eam procidentes aut flexis poplitibus sese excipientes. Aliis e contrario licet esse adeo felicibus, ut non solum edant, bibantque & dormiant instans, sed & quibusvis corporis exercitiis subeundis sustinendisque parres, apti promptique sint; prout scil. caput plus, minus obſtipum est; in uno enim vix obliquum apparet, in altero autem adeo ad latus sinistrum ex. gr. intortum est, ut mentum ad humerum dextrum reflexum ab eo quasi sustentetur, prout graviora vel leviora, plura vel pauciora symptomata junguntur, prout causa morbi comparata est, prout denique diætetica & therapeutica auxilia in usum vocantur.

B b. 2

Exa-



Aetiology. Examinantibus quænam corporis nostri partes morbose affectæ capitis obliqui causam proxinam sustineant, apparet colli, capitis vicinarumque partium cutem, musculos, glandulas, humores in genere, ligamenta ossa accusari posse & debere.

Cutis ex fibris mirabili ordine intertextis composita tendi, contrahi, corrugari, accurtari potest, hinc & sibi annexa trahere, adducere: ea ergo portione, quæ est intra basin maxillæ inferioris & claviculam in uno latere valde tensa & multum abbreviata, caput versus pectus in illud latus trahi necesse est. Talis effectus maxime sequi solet combustiones varii gradus imprimis illas, quæ cum notabiliore partium destructione atque deperditione, aut & copiosiore suppuratione succedente accidentur. Consumtis enim ita ictis plicis in membrana adiposa plicæ atque rugæ cutis quoque oblitterantur atque pereunt, ipsaque cutis fundo ulceris aut vulneris firmiter ubique accrescit; hinc minus ac ante laxa pristinam sui extensionem atque dilatationem non amplius admittit, multo minus cedere potest, aut capitis motus in oppositum latus sequi. Hinc & forte cicatrices in collo obviæ hic stare atque accusari possunt.

Platysma myoides pectoris parti supremæ, claviculis, collo anteriori & laterali, faciei inferiori v. *Tab. Anat. Eustachii XXX.* fibris tendinosis oblique versus mentum directis incumbens, basi maxillæ inferioris tenacius adhaerens, ubique cum cute interventu membranæ cellulofæ accretum, in alterutro latere spasmodice versus inferiora convulsum, tractum, induratum, corrugatum &c. totum caput concutere & versus pectus oblique trahere potest.

Qui *Clino-sterno-mastoideorum* muscularum originem eorumque obliquum ascensum & insertionem in processum mastoideum ante oculos sibi sicutur, facile & à priori judicare possunt, illos præ omnibus aliis musculis & reliquis partibus caput obliquum reddere posse: & sane ejus causam ut plurimum in iis hærente experientia confirmat. Negarunt quidem nonnulli mastoidi musculo partes caput movendi & tantum firmitudinis ergo, & ut erectum servarent caput, datos esse dixerunt. v. *Th. Bartholini Epist. Med. Cent. II. epist. 36.* Sed quemlibet in se experiri posse puto, eos, ut de aliis motibus, quos præstant, jam nihil dicam, quando utrinque simul agunt caput, maxime versus posteriora reclinatum, recta antrorum flectere, quando vero in uno tantum latere, caput oblique deorsum versus alterutrum humerum trahere atque adducere. Hinc mastoidei hi musculi ut antagonistæ considerari possunt: caput enim in statu fano à dextro mastoideo ad latus dextrum adductum, à mastoideo sinistri lateris in situ erectum atque ad latus sinistrum reduci ac dirigi potest, & sic vice versa.

Obliquum ergo erit caput e. g. in latere sinistro, quando mastoideus sinister dextro est fortior: Triplici autem modo potissimum fortior fieri potest & solet: 1. Quando spasmodice trahitur dextro non conyulso. 2. Quando paralyticæ resolvitur mastoideus dextri lateris ipso paralysi non relaxato:

3. Quando



3. Quando rigidus, aridus, corrugatus, abbreviatus, induratus, callous & cæt. est, dextro manente sano.

Quæ de mastoideis musculis dicta sunt applicari possunt & debent ad reliquos musculos, qui in alterutro latere agentes caput & collum ad latus & oblique flectunt, aut ad minimum in tali eorum flexione cooperantur, nimirum *Splenios*, *Complexos majores*, *Complexos minores*, *Scalenos*, *Lungos Colli*, *Transversales*, *Spinales*, *Intertransversales*, *Intervertebrales Douglassii*, portionem serrati postici superioris annexam costæ prima in nonnullis subjectis v. Winslow Anat. T. II. §. 1155. & Heijst. Anat. §. 330. in not. quorum omnium ortus, situs, progressus, insertiones brevitatis causa & tanquam aliunde cognitos hic non describo.

Intelligunt etiam considerantes reliquorum capiti ac collo insertorum atque jam nominatorum muscularum usus, quatenus caput collumque in situ eretto stabilunt obfirmantque, vel inclinationem naturalem & flexionem versus anteriora & versus latera moderantur atque impediunt, vel in oppositum, situm reducunt, uti & quatenus caput cum collo ad pectus adducunt, vel tractioni ad posteriora resistunt; an & qui præcise musculi, quomodo & sub quibus circumstantiis ad morbum nostrum producendum concurrere possint.

Reliquorum capitinis muscularum mentionem non feci, quia illos non solum ad usus flexionis lateralis ineptos credo, sed etiam quod in genere caput non videantur movere, nisi super primam vertebram. Rectos laterales enim, obliquos minores, quibus una cum obliquo majori usum caput obliquè movendi alias adscribere solent, rectos majores posticos, rectos minores posticos nullum alium nisi rotationis motum capitinis super vertebra prima exercere posse: obliquum majorem vero notante etiam Cel. Heijstero in nota c. ad §. 327. musculum primæ vertebræ esse & ipsam circa processum odontoidem mouere, atque ope rectorum maj. antic. & rectorum min. antic. caput non nisi super vertebram primam antrorsum moveri; ex situ atque insertionibus ipsorum horum muscularum, manifestum esse existimo.

Glandulae conglobatae, quas & lymphaticas vocant, lympham glandulosam secerentes per totum collum & maxime ejus partes laterales disperse, sitæ ad musculos colli exteriore, imprimis ad latus muscularum mastoideorum, inter horum interstitia, ad apophysin mastoideam, ad occiput, ad vertebraes colli, ad venam jugularem internam per collum abeunt, obstructæ, infarctæ, tumefactæ, lympham vitiosam secerentes & muscularis communicantes uti morbi ita plurium ejus symptomatum causa esse solent. *Lympha* enim acrimonia, spissitudine, copia peccans in fibra rum muscularium interstitiis, in muscularum tunica cellulosa, in ipso corpore in alterutro latere tardius circulans, subsistens, stagnans, extravasata musculos ibi distendit, tumidos reddit, decurat, tendit, spastimodice trahit. Hinc & ipsum caput attrahitur.

B b b 3

Quem.



Quemadmodum vero & materia talis morbosæ lymphæ non raro jam ante in ipsis humoribus, glandulis ad secerendum allatis, latet; ita *omnium corporis nostri humorum* in genere in examine causarum ratio habenda est, imprimis vero liquidi in arteriis & venis lymphaticis circumstantis.

Quicquid jam dicendum foret de *Nervis muscularum*, caput collumque sustentantium atque moventium, in alterutro latere à materia aliena irritante vellicatis, ab irregulari spirituum animalium influxu convulsis, tensis, strictis, aut & obstructis, compressis, distortis, distractis, ad transmittendum liquidum nerveum ineptis, redditis, paralyticis factis ex quacumque alia causa ex iis hauriri atque intelligi potest, quæ supra pag. 14. de spasm & paralysi muscularum ibi nominatorum in medium prolatæ fuerunt.

An *ligamenta* tam omnibus vertebris communia, quam primæ, secundæ vertebrae atque occipiti propria præternaturaliter constituta morbi causa esse possint, quæstio esse videtur resolutu difficilis. In sectione cadaveris ab *Illustri Salzmanno* in *Eph. N. C.* exposita ligamentum posticam duarum vertebrarum superiorum partem connectens justo laxius, & ligamentum apophysin odontoidem cum osse occipitis connectens ruptum deprehendebatur.

Nec tamen ideo hanc ligamentorum constitutionem causam capitis obstripi fuisse dicere possumus, quia deprehensa aliarum partium vitia eodem jure accusari debent. Interim cum dicta ligamenta juxta alios usus in statu naturali occiput atque colli vertebrae nestant atque firment, ut in neutrâ partem inclinare possint, fieri potest, ut relaxata aut erupta varians capitis flexionem præternaturem admittant, aut tamen musculis trahentibus non amplius ut ante resistant. *Roonhuyzen* à ligamento, nescio quo, præternaturali caput oblique antrosum trahente atque detinente capitis obstripi causam quoque derivandam esse putat.

Ossa in morbis malaæ conformatiæ tantum non semper accusamus: & sunt, qui omnem deformationem externam solum ab aliquo distorto osse originem sumere perperam existimant. v. *Theod. Kerkringius Observ. Anat.* 45. Tantum vero absit, ut his temere subscribam, ut potius falli putem. Ideo in ossium malaæ conformatiæ causam capitis obstripi non facile quererem, nisi in illis subjectis, quibus ab ineunte ætate adeoque jam in utero matris caput obstriptum fuit. Si enim in proiectiore ætate ossa capitum atque colli distorqueri, dislocari aut quocumque modo, & ex quacumque causa ex sano in morbosum statum abire debeant, gravissima symptomata, qualia cum capite obstripto esse non observantur, excitari, aut subitaneam mortem sequi necesse est. Attamen attentione quam maxime digna est & modo dictis repugnare videtur observatio pag. 9. & 10. jam allegata, qua *Illustris Dn. Salzmannus* in biga subjectorum quibus collum, dum viverent, obstriptum erat, post mortem non modo os

occipi-



'occipitis, sed & colli dorsique vertebrae carie correptas exesasque deprehensas tuisle affirmat. De colli vertebrarum subluxatione pagina modo allegata dictum fuit.

Quid *Anatomia Præctica* circa morbum nostrum detexerit non nisi *Illustri Salzmannus* toties laudata observatione, cuius contenta huc pertinencia ob chartæ angustiam jam transcribere non licet, & *Bonetus confi-
gnatum reliquerunt. In sinistro cerebri ventriculo maxime, scribit hic pos-
terior in *Sepulchret. L. I. S. 9. & 13. Obs. 31. & 33.*, Morbi tam
,, contumacis mortisque causa existabat, copiosa scil. sanies cum muco ac
,, materia putrefcente inibi contenta, cui adscribendum, quod spasmis
,, ejusce lateris initio affligeretur, capite nimirum ac collo in id latus
inclinato.*

Quemadmodum in phænomenorum constituentium recensione dictum Phænomena fuit, symptomata caput obstipum concomitantia valde diversa esse; ita na confe-
& jam hic apparebit, phænomena consequentia non una eademque esse quentia,
adeoque diversam pro subjectorum diversitate prognosin formari debere.
Nullum in historia medica atque chirurgica prostat exemplum, quo mor-
bum hunc sponte sua nullis plane medicamentis adhibitis cessisse constet,
nisi quidem diætam attenuantem, incidentem, qua sola Vir collo tor-
tuoso laborans duodecimo tandem anno restitutus est intra 40. dies, re-
ferente ex *Weckeri observationibus Schenckio Observ. L. I. de paralyse p.
99.* retuleris inter medicamenta. Auxilia vero medica atque chirurgica in usum vocantibus diversa fuerunt fata: quidam perfecte curati fuerunt malo nunquam redeunte; alii e contrario semper levi aliquo morbi ves-
tigio relicto in integrum restitui non potuerunt, nonnulli non nisi pal-
liative curati fuerunt malo a prima sua causa aut & alia denuo excitato;
alii gibbosi facti sunt, plurimi incurabile mansit malum, unus & alter convulsionibus supervenientibus succubuerunt.

Curationis autem in tantum vel in totum spes est, ex gr. quando caput leviter modo obstipum est, nec impedit, quo minus mentis corporisque munia exerceri queat, quando morbi causa cognita ita compa-
rata est, ut sive in fluidis sive in solidis hæreat, medicamentis aut ma-
nu chirurgica corrigi atque tolli possit, quando malum nondum invete-
ratum est; ubi tamen notandum, quod supra ex *Observationibus Schen-
kii notatum est:* quando causa externa recidivas non instituit, & quæ
funt aliæ huc facientes & pertinentes circumstantiæ, quarum prolixiori
recensionem brevitatis causa omitto. Contraria autem modo dictis si ad-
fuerint; morbi in sanitatem mutatio non obtinetur. Convulsiones & mors
sequi possunt, si a materia acri, putrida, caustica & cæt. morbus ipse
productus fuerit.

Qui supra dicta rite perpendunt, phænomenorum in historia morbi Phæno-
menorum rationem facile reddere possunt: hinc unius atque alterius morum Ex-
phænomenorum rationem facile reddere possunt: hinc unius atque alterius morum Ex-
phænomenorum rationem facile reddere possunt: hinc unius atque alterius morum Ex-
phænomenorum rationem facile reddere possunt: hinc unius atque alterius morum Ex-
phænomenorum rationem facile reddere possunt: hinc unius atque alterius morum Ex-

*Anatomia
Præctica
quid do-
ceat?*



phænomeni resolutionem atque explicationem instar omnium esse posse arbitror.

Quibus aëris gelidi affectus in nostrum corpus cogniti sunt, obscurum esse non potest, cur frigus vario modo ad corpus admissum sub phænomenis antecedentibus toties accusaverim? Frigus enim stringit fibras solidas, tendineas, musculares, densat, exsiccat, contrahit, ita, ut ægre postea ad pristinam figuram remeare queant, humores cogit, densat, glandulas præter naturam stringit, effectus inde dependentes producit, catarrhos, rheumatismos, obstrunctiones, inflammations facit, nervisque inimicissimum est.

Cur defluxio capitis collique catarrhalis & maxime mastoideum musculum occupans omnium frequentissima capitis obstipi causa sit? Ex iis quæ pag. 15. de lympha peccante dicta sunt, clarum est, & maxime, si simul attendamus, quod musculus in alterutro latere in continua contractione & abbreviatione constitutus musculum oppositum violenter trahat, adeo ut nimis tenus atque elongatus relaxetur, suumque tonum naturalem amittat, & actionem antagonistæ contrariam exercere non possit.

Qui norunt violentos animi affectus nervos, spiritus, musculos mirabilis & efficacissimo modo, sed & non semper explicabili, mutare, figere, depravare posse, ideo vero simul omnes morbos producere valere, perspectum etiam habent, cur & quomodo capitis obstipi causa esse potuerint? Sed non nisi idiosyncrasie individui adscribendum esse puto, quod unguentum ex mercurio, alias quidem toti nervoso generi summopere infesto, præparatum & collo inunctum morbi recidivarumque causa fuerit: sunt enim in mundo hominum millia, qui unguentis mercurialibus saepius inuncti nullam inde muscularum, tendinum aut nervorum labem atque resolutionem passi sunt.

Qui glandularum infarctarum, tumidarum, obstructarum & cæt. rationem habent, concipere possunt, cur collare arctius stringi, cur in latus affectum decumbere molestum sit? Quin & ex glandulis ita affectis humorum inæqualem distributionem, eorum circa vertebrarum corpora, cartilagines inprimis, apophyses, ligamenta nimia abundantia affluxum & collectionem, exinde vero spinæ rigiditatem, incurvationes & cæt. derivare possunt. Cur nonnullis lapsus in illud latus, quo caput obstipum vergit, imminere videatur? Cur non erecti, nisi baculo innixi & cæt. incedere queant? rationem jam reddidit Platerus.

Cur in iis, quibus caput periodice obstipum fit, inter comedendum exarcerbetur? Non adeo miramus: quia idem in Opisthotono & emprosthotono affectis observamus & a motu muscularum maxillam moventium accelerato fieri non obscure derivamus. Sed cur *Boozii* ægram alteram præcise circa prandii cœnæque tempus, nec extra illud, etiamsi

con-



comederet, paroxysmus invaserit? Altioris est indaginis. Hæc vero sufficient.

In *Therapia* præcipuam Medici intentionem esse debere caput obstipum, Therapia. si possibile, in situm positumque naturalem reducendi, nemo est, qui Indicatio-ignorare possit. Quem scopum, ut obtineat plures & diversæ ipsi sunt nes. indicationes, quas in methodo medendi sequi debet. Has brevitati stu- dents singulatim jam hic non recenseo, sed mox ad *Therapiæ* specialioris expositionem progredior, eo magis, cum generaliores illæ indicationes una cum indicatis facile exinde derivari atque formari possint.

Regulæ diæticæ, quas medicus de capite obstipo consultus vel præ- servative vel palliative, vel curative præscribere potest, potissimum a diversa causa morbi petuntur.

Admonendi sunt infantum curam habentes, ut errores circa eorum educationem committi solitos, & mox sub initium historiæ morbi accusa- tos, sollicite evitent.

Quibus frigus infensum est, caveant, ne illud ad corpus admittant, vel studeant qualitates aëris excessu suo malum producentes opositis inductis emendare: in primis vero collum contra aëris injurias præmunire atque e. g. pelle leporina probe tegere assuecant. Quæ cautio etiā in subjectis catarrhalibus defluxionibus vexatis adhibita suo effectu non ca- rebit. Quibus ab animi affectibus caput obstipum factum est, vel & qui- bus per paroxysmos quasi ex hac causa obstipum sit, ipsi cavebunt, si quidem sibi temperare possunt, ne malum sua illa culpa exacerbent, aut paroxysmi reditus occasionem præbeant. Melancholicis contrarii affectus ma- xime spei & desiderii excitari debent.

Si applicata externa corpori morbi causa fuerint, removenda sunt, aut efficacia eorum atque indole cognitis contraria applicanda. Sīn aliis mor- bus in causa fuerit, cur caput obstipum sit, diæta, qualis in illo morbo in genere convenit, institui debet.

Quando affectus ab humore crasso & glutinoso, à lympha spissiore & cæt. originem dicit, sola diæta attenuante & incidente curari poterit. Par- cōre enim victu h. e. sola aqua & melle ægram à Medico Andrea Albio intra 40. dies cum magna adstantium admiratione perfecte sanitati restitu- tum fuisse affirmat *Schenckius L. I. fol. 99.* & 135. Eadem hæc cura fere iisdem verbis legitur apud *Forestum L. X. obs. III.* Mel autem in medica- mentorum atque alimentorum classe stat, multaque antiquissimis nihil fere celebratus fuit; nec satis dici potest, quanta & quam laudabilis mellis in- fit incidendi, attenuandi, aperiendi, abstergendi & cæt. virtus, & quam egregie propter virtutem suam saponaceam in quoscumque humores agere possit. Ubi humorum acrimonia mali origo atque occasio esse deprehendi- tur, falsa & quævis acria evitanda sunt, cibus simplicissimus omnique a- crimonia carens assumendum est, maxime vero ex lacte ejusque sero, si

Tom. II.

Ccc ferre

Fons Diæ-
ticus.



ferre æger possit, vivere convenit. Unde & viuum non semper convenire patet.

Nec quieti nimis indulgendum est, sed exercitia corporis quotidie & moderate instituenda sunt, ut spina dorsi aut & reliqua membra propter morbum non raro ad rigiditatem disposita, eo magis flexibilia maneat atque conserventur.

Fons
pharma-
ceuticus.

Casu, quo caput obstitum praecedentem defluxionem catharralem sequitur, ejus curatio, si quidem mature consultum fuerit, tentanda est per usum diutius continuatum medicamentorum internorum contra ipsam fluxionem valentium, sc. moderate calidorum, diaphoreticorum, discutientium, resolventium, antispasmodicorum, nervinorum, qualia juxta alia specifica sunt Nitr. Cinnab. Lumbr. terr. pp. Milleped. pp. C. C. phil. calcinatum & cæt. Decocta ex ligno safffr. rad. chin. sarsap. & cæt. liq. C. C. succin. elix. aperit. cl. essent. pimpin: alexiph. Stahlii & cæt. Externe lateri affecto simul relaxantia, humectantia, discutientia, emollientia, nervoso generi appropriata applicari debent sub forma fumigationis, fomenti, embrocationis, epithematis, linimenti, cataplasmati, unguenti, emplastri & cæt. talia fieri possunt ex. gr. ex. lign. rhod. safffr. mastich. oliban. stoechad. citr. herbis nervinis, spirit. lumbric. terr. matrical. acido formic. serpyll. sapone veneto camphorato, emplastro saponato barrette, ol. lumbric. castor. rut. axung. human. can. castor. unguent. nervin. resumitv. lumbricis vivis & cæt. His sine fructu adhibitis aquarum medicatarum atque thermarum usus suadendus est, de quibus infra.

Si ab unguento mercuriali collo inuncto morbus venerit, medicamenta non in latere obstito, sed in opposito applicanda sunt, nam musculi lateris, in quod reclinatum est caput, considerari possunt & debent, ut pars sana attrahens musculos alterius lateris à mercuriali remedio paralyticos factos. Curatur tale obstitum caput remoto nec unquam amplius applicato isto remedio, mercurio, qui intra corpus se forte insinuavit, expulso per laxantia & cæt., medicamentis contra paralysin in genere laudatis.

Fermento venereo, à quo morbus quoque observatus fuit, purgantibus, sudoriferis, salivatoriis, specificis correcto, expulso, ipsa mali curatio obtinetur. In subjectis, ubi venerei quid latere posse suspicio est, antivenerea mitiora in usum vocanda sunt. Quando à cute ambusta tensaque, à musculis rigidis, induratis, emaciatis & cæt. à nervis tensis, à spasmo caput obstitum est, omnia, quæ contra ambusta hoc casu valere possunt, quæ emollient, relaxant, humectant, externe adhiberi debent, quorum specialior indicatio ex supra laudatis & similibus medicamentorum classibus peti atque hauriri possunt. Spasmo autem simul mederi debemus internis antispasmodicis, nervinis, antiepilepticis. Lateri paralyticō confortantia, nervina, tonica, cephalica varia sub forma applicanda sunt interno similiū medicamentorum usu non neglecto: maxime autem con-
veniunt



veniunt frictiones cum spiritibus penetranti & stimulante virtute præditis, & balnea, de quibus mox dicetur. Glandularum infarctum atque obstrunctiones incidentibus, aperientibus internis, alvum laxantibus interpositis tollere allaborandum est.

Requiruntur autem plerumque curæ integræ pro diversitate subjecti adoranda: neque harum unica semper sufficit. Laudari merentur juscula medicata ex cochlear. Nasturt. fumar. chærefol. beccabung. & cæt. recentibus, aut & horum succi expressi, decocta infusionesque ex rad. lapath. acut. scrophular. cichor. tarax. Ar. & maxime squinæ, foliis scolopendr. medicamenta ex salibus, cinnab. marte, mercur. sulphur. antimon. in substantia, vario modo præparata, apte combinata inter se aliisque mixta: omnium autem maxime aquæ medicatæ, minerales aperitivæ. Nec obliviscendum est medicamentorum exterius applicandorum glandulas deobstruendi quocumque modo idoneorum.

Eadem hæc contra humorum lymphæque spissitudinem valere patet, & eo certius, cum spissitudo fluidorum sæpiissime glandularum obstructionis causa sit. Acrimonia autem massæ fluidæ & imprimis lymphæ in genere peccare deprehensa per sua indicata ad inertiam reduci debet. Particularis acrimonia cognita sua correctoria specifica postulat: quorum omnium notitia tanquam aliunde cognita brevitatis causa hic supponitur.

Efficacissimum denique remedium capitis obstopi est usus thermarum externus. Agunt enim, ut balnea in genere in fluida & solida & ab omni fere morbi causa allegata indicantur. Depurant massam humorosam vitiosis partibus scatentem ipsumque venereum virus expellunt v. Ill. Frid. Hoffmanni opusc. phys. med. T. II. p. 221. & 474. obstrunctiones referant, fibras solidas rigidas emolliunt, relaxant, contra spasmodum & paralysin valent. Cum vero thermæ omnes non sint unius ejusdemque naturæ, sed principia & qualitates diversas in sinu suo contineant, cauti esse debemus in earum applicatione, selectum cum judicio instituentes, quænam potius huic, quænam alii morbi cause magis convenient.

Intentio autem primaria thermarum usus contra morbum nostrum est, vel debilitatem, flacciditatem paralyсинque membranacearum, nervosarum, tendinosarum, musculofasarum colli capitisque partium expugnandi, proligandi, vel easdem partes exsuccas, crispatas, tensas, corrugatas, duras, rigidas leniendi, emolliendi, relaxandi, explicandi.

Duplici huic scopo simul satisfaciunt thermæ nostræ ferinæ moderate calentes, non ferventes, inodore, insipidæ, aqua purissima, levissima constantes, nullis manifestis, nisi subtilissimis spirituosis & saponaceis, & ad oculum demonstratis principiis mineralibus gaudentes. Quotidiana etiam & certissima experientia constat, istas non solum partium obrigescientiam, contracturas, spasmodicas constrictiones tollere, sed etiam partibus flacidis & vere resolutis robur addere. Substitui possunt thermis ferinis aliæ ad illas accedentes & in patria nostra maxime Zellenfæs, aliæque, in

Ccc 2 Bohemia



Bohemia Toeplenses, in Silesia Hirschbergenses, in Rhetia Piperane, in Hassia-Schlangenbaudenses. v. *Dissert. de Thermis ferinis atque Zellenibus sub praesidio B. Zelleri anno 1729. Tubingae defensa.* De methodo utendi his thermis jam nihil dico: moneo saltem, quod insessus non sufficiant, sed simul embrocationes partis affectae requirantur, & quod ipsarum thermarum usus internus, si subiectum ferre possit, simul jungendus sit. Embrocationes tamen non semel tantum, sed ter quaterve in die adhiberi debent: nec multum interest, an destillatione thermarum ex alto iubar pluviae cervix, capite pannis calidis bene tecto, irroretur, an affusione earum ex alveolo aut per epistomium: quo tamen ceciderit & irruat aqua ex altiore loco, eo vim exercere majorem probe pensaret medicus.

Denique etiam videndum est, an praxis confirmet, quæ de thermarum usu prædicavi. Unicus *Platerus* harum mentionem facit; & hinc credidi operæ pretium esse, ut verba ipsa huc transcriberem. „Cum à generalibus & topicis, inquit, nullam sentiret mutationem æger, proprio consilio thermas adiit sulphureas, quarum usu levamen aliquod, ita, ut caput minus rigide, quam prius in latus tunc torquere cogeretur, sensit. Altera vice consilio meo thermas sulphureas adire debebat, sed adiit Leucenfes vallesianorum, atque in iis balneando moram septimanarum trium traxit, multumque sudavit, atque aqua illa calente, cervicem continuo perfundere jussit, & per epistomium irroravit. Sed rēversus è thermis, caput non amplius in sinistrum latus tractum, sed rectum manens ostendebat, adeo, ut in sinistrum latus jam nulla ratione posset vertere.

Egregium nostrarum ferinarum thermarum effectum vidimus hoc ipso anno in biga Ill. Subjectorum; alteri horum mansit quidem colli rigiditas, sed tantum abest, ut caput adhuc ad humerum reclinatum sit ut ante, ut potius vix amplius & inconsiderati intuentibus obstatum appareat: alteri non solum collum non amplius rigidum est, sed & caput sponte sua aut manuum opera in situm naturalem reducere licet.

Aliunde, sed & certe, scio, aquis foteriis in Gallia, *les eaux de Plombières*, dictis in usum, modo de nostris thermis dicto, vocatis caput obstatum perfecte curatum fuisse. Similem effectum promittunt quoque ab usu fontium gallicorum *de Balance en Languedoc*, *de Bourbon l'Archambault*, *de Barèges*.

Dum hæc scribo, reminiscor aquas illas *de Plombières* confortando vires suas exercere credi, & hinc non lateri affecto, h. e. illi, in quod caput reclinatum est, sed opposito & paralyticō applicatas fuisse. Hinc si in usum vocare quis velit alias thermas terra minerali, calcaria aut martiali & cæt. abundantes, suaderem, ut embrocationes tantum in latus infirmum aut paralyticum fiant.

Intelligi etiam ex dictis potest, an, quæ & quomodo balnea arte preparata & alias contra paralysin laudata e. g. ex formicis & earum myr-



mýrmecio, aut ex summitatibus piastris cum aqua fontana decoctis & cæt. capiti obstipo mederi queant.

Fonticuli atque Setacea omnino in usum trahi possunt, quando caput Fons chi-
obstipum a fluxionibus, a lympha acri & cæt. originem suam habuit. *furious*.
& adhuc magis vesicatoria ad nucham, ad scapulas, ad brachia posita,
quia spasmo & paralysi simul mederi solent. Sed nisi mature hæc auxi-
lia adhibeantur, laudabilem effectum non auderem promittere.

Quemadmodum in genere partium vitiosarum figura atque situs in
contrarium atque naturalem mutatio duobus modis obtineri affirmatur
diaplasiæ scil. & *ewiæ*, formatione atque deligatione, ita etiam
tentare debemus; an ipsis adhibitis caput obstipum in situ, quem na-
turaliter habere debet, reduci queat.

Ex diaplaſi seu ea figuræ atque situs emendationis methodo, quæ ma-
nibus partem sœpius & paulatim contrectando, comprimendo, reponendo
& cæt. perficitur, multum auxiliū sperare vix possumus, nec semper,
ubi rigiditas ex. gr. simul adest, habet locum.

Epidesis autem seu ea vitiosi situs correctio, quæ fit per fascias, qui-
bus pars in contrarium vitioso situm atque figuram adducitur retinetur
que, ne in figuram situmque vitiosum iterum deflectere possit, in subje-
cto quodam caput obstipum habente adeo non usquequa frustanea
fuisse, ut caput postea erectius gestaret, observata fuit,

Vario autem artificio fasciæ, ferulæ, ligamenta, machinæ fabricari at-
que fieri possunt, quibus in latere, in quod caput non intortum est, appli-
catis, aptatis, firmatis, nec facile postea remotis impediri potest, quo
minus caput in latus, quo vergere assuevit, reclinari possit.

Nuckius atque *Solingen* ter quaterve singulis diebus ex instrumento,
Torques dicto ab ipsis, & in *Heijsteri Chirurgia* descripto atque depicto,
quadrantis horæ spatio suspendere patientem jubent, & tamdiu ita con-
tinuare, donec caput pristino statui fuerit restitutum. Verum etiam simul
fatentur aliquando hoc malum tam altas egisse radices, ut propter sum-
mam muscularum contractionem & duritatem hac methodo non curari
possit. Sed nec posse sufficere talis suspensio per quadrantem horæ ali-
quoties in die instituta videtur: experientia enim docuit, fascias, qui-
bus partem in situ continere, vel quibus illam in alium situm dirigere,
volumus, continuo noctesque diesque gestari debere, nec a corpore remo-
veri, nisi post longum temporis intervallum & partibus in situ isto per-
fecte obfirmatis.

Non, nisi duo casus sunt, quibus ad scalpellum confugere vel neces-
se est, vel licet: uno, quo cutis adeo tensa est atque corrugata, ut
oleo atque unguentis relaxari non potuerit: altero, quo musculus mas-
toideus in alterutro latere adeo exsiccatus, contractus atque induratus
est, ut nulla arte emolliri atque flexibilis reddi possit.

Celeb. Heijsterus admittit tertium casum, ubi scil. caput obstipum a li-



gamento quodam præternaturali venit: Sed cum talis ligamenti magnitudinem, situm, connexionem & cæt. haud facile dignoscamus; tanto circumspectiorem oportebit esse chirurgum in molienda hujusmodi ligamenti dissectione.

Si in cute modo vitium haeret, simplex ejus incisio sufficit. Hæc transversalis esse debet, & ibi præcise fieri, ubi maxime crispata atque corrugata cutis est. Hinc quando in uno atque altero loco ita contracta esse deprehenditur, plures quoque incisiones adhiberi debent. Studendum autem est, ut incisio, quantum possibile, in colli parte inferiore prope claviculas fiat, ne postmodum natâ cicatrix colli pulchritudinem defœdet. Cavendum quoque est, ne vena jugularis externa temere lædatur. Maxime autem notandum est, tale vulnus longe aliter tractari debere ac alia vulnera; illius enim labia diducenda, horum vero adducenda sunt. Major talis vulneris hiatus obtinetur, quando mox post operationem absolutam, & inter ejus curationem caput ligatura aliqua aut quocumque modo versus oppositum latus inclinatum servatui, ipsumque vulnus linteis carptis infarcitur, & dein ut vulnus membranæ curatur. Quibus observatis ampla simul cicatrix, quæ hic necessario requiritur, generatur.

Quando caput obſtipum propter musculorum mastoideorum rigiditatem ac callosam duritiem ad naturalem positum figuramque nulla arte reduci potuit, tunc aliud remedium non supereft, niſi operatio, qua ipse musculus rēscindatur integer. Quam ut recte atque feliciter administret operator, necessarias nonnullas cautelas obſervare debet. Refecatur vero commodissime musculus, ubi insertionem suam in sternum atque in claviculam habet; hinc ſcire debet Chirurgus, mastoideos non ſolum parti sterni supremæ atque extremæ, ubi cum clavicula articulatur & claviculae parti sterni proximæ, ut plurimum annexos effe, ſed & interdum ibi divifos effe in duos aut etiam in tres diſtinctos fasciculos aut muſculos, tertiam claviculae partem occupantes v. *Eustachii Tabul. Anat. XXVIII. XXXII. XXXV.* Necesse quoque eſt, ut vivam memoriam atque cognitionem partium circumiacentium teneat atque poſſideat, & hinc vaſorum ſub claviculis decurrentium ſubclaviorum, & ex hiſ oriundorum quorundam ramulorum, asperæ arteriæ & iſpi annexarum partium & ad ejus latus ascendentium vaſorum, œſophagi & diſpersorum nervorum atque vaſorum ſanguineorum plurimorum ramuſculorum.

Diffecti autem poſteſt muſculi unio cum clavicula & ſterno vel ope applicati cauterii potentialis vel ope ſcalpelli: verum moleſtissimam talementum cauteriorum admotionem, & ob ſummos dolores convulſionesque periculofißimam fuile experientia docuit teſte *Nuckio*. Patet hinc, neque cruf tam per lixivium coctum, ut locus inciſionis notetur, cuti inurendam effe: quin & monente *Tulpio* ſummpere cavendum effe, ne nervi tendinesque pungantur vel dimidiato diſcindantur, ſed toti diſſecentur: nam uti



uti in genere nervus sectus vel punctus ita, ut paucarum modo fibrilarum ipsum componentium cohæsio soluta fuerit, ferocissimos dolores, miras convulsiones & cæt. excitare solet; ita & nervis in hac operatione magis punctum quam cæfum lesis vehementes cervicis, faciei, brachiorum convulsiones sequutas fuisse observatum fuit.

Duplici methodo autem operationem perficere docent, una, qua scalpellum aut forfex subtus musculum intrusum ab interioribus ad exteriora movetur atque dirigitur, altera, qua extrinsecus cultello in musculum incisio fit. Priorem modum *Solingen* prolixius in sua chirurgia describit: verum isthac tali cultelli aut forficis intrusione musculum parteque circumiacentes multo facilis atque periculosius laedi atque dilacerari debere necesse est; hinc posterior methodus huic anteponenda & in praxi omnino adhibenda est. Atque sic quæstio non amplius prolixe discussienda est: an operatio scalpello, an forfice perficienda sit? Scalpellum vero eo magis præferendum esse puto, quia id in manu inter secundum dirigere possumus, ut volumus, neque cum illo tam facile, uti cum forfice, partes adjacentes laedimus, neque caput, musculo ope scalpelli disiecto, tanto cum impetu resiliret, ac resilisse dicitur a *Roonthuyse* & *van Meekren*.

Hisce cautelis observatis, atque reliquo apparatu chirurgico præparato patientis sedili insidere jubeatur, atque ipsius caput a famulis ita retrorsum, si possibile, reclinatum tenetur, ut collum mentisque multum elevata sint, mastoideus distinctius appareat, & operator locum incisionis probe notare queat, qui in infima colli parte ad sterni partem supremam atque extremam & supra clavicule os, ubi scil. musculus adhaerere dictus fuit, determinandus est. Tunc incisione transversali a parte exteriore h. e. ab aure versus jugulum in cute tacta ipse musculus adicto penitus & animosius, sed & caute, scalpello simul & semel, si scil. possibile, nec interpolatis vicibus integer atque transversaliter præscindi atque resecari debet. Operatione sic facta, haemorrhagia, si quidem notabilis superveniat, siltenda est, vulnus linteis carptis & plumaceolis medicamentis convenientibus imbutis adimplendum, & ut reliqua vulnera similia curandum est. Nusquam vero plus amplitudini cicatricis præsidiendum est quam hic. Cautelæ quoque in cutis incisæ curatione allatae atque laudatae exakte observari debent. Puto etiam vulnera jam consolidato & capite obstopo curato fasciis atque ligaturis capiti postmodum diu adhuc applicatis impediri debere, quo minus in alterutrum latus inclinari possit.

Momento post operationem hanc feliciter peractam caput obstopum cum impetu in naturalem situm rediisse atque resilisse & perfecte curatum fuisse *Roouthuyse* atque *van Meekren* memorant.

Tulpius autem conqueritur, quod operatione peracta tamem aliquandiu inveterata inclinatio in latus affectum permanserit.

Tandem, ut in compendio sistamus totum, quem hucusque sub invenimus



dem vocavimus, affectum, sualor fuit *Dn. Praes*, imitaturi nuper propositum in Disp. cui titulus fuit: *Medicina in nuce*, exemplum, alia licet methodo, in ipso tamen contextu laudatae Dissertationis allegata. Si locus suppetisset, aliqua insuper corollaria fuissent addita, quibus actione mastoideorum, rectorumque lateralium musculorum, nec non explanatione praetensi ligamenti p. nlis, discissique penitus mastoidei, salvo nihilominus manente, inamo redditio hinc, capitis motu, aliquam accepissent lucem. Sed dabitur fortasse his alias locus & occasio.

C A P U T O B S T I P U M ,

Obstipitas, detorsio, distorsio Capitis, *kriummer Halß*, Torticolis.

D E F I N . Capitis involuntaria & permanens, l. inclinatio versus alterutrum humerum, l. detorsio horizontalis, semicircularis absque inclinatione.

D I F F E R E N T I A :

Ab emprosthotono, opisthotono, tetano differt inclinatione laterali.
Recens : habituale : connatum.

Perpetuum : periodicum.

Idiopathicum : Sympathicum.

Paralyticum : Spasmodicum.

A causa in-vel externa.

Cum, l. sine dolore.

*MORBUS conformatio*nis* in positura vitia*a*.*

S U B J E C T U M M O R B I :

Caput collumque.

•• **C A U S E :** musculi flexores colli capitifque, maxime mastoidens, & rectus lateralis, platysmam yodes: tunica mastoideorum propria: colli cutis, glandulae congregatae, vertebræ, ligamenta, nervi.

C A U S A P R O X I M A I M M E D I A T A :

Alterutrius mastoidei l. debilitas, rela-

xatio, paralysis, transversalis dis-
cisio: l. stricture, spasmus, convul-
*sio: nervorum l. obstruc*tio*, paraly-*
tica, l. irritatio spasmatica; cutis den-
satae, corrugatæ, ligamenti p. nlis.
tractio.

C A U S E R E M O T I O R E S :

Ætas tenera, embryonis & infantis di-
turnus perversus situs, decubitus, ma-
lus habitus, disp. hered. subita, vio-
lenta capitis flexio, rotatio.

Frigus incaute, subito admissum collo,
nuchæ.

Affectus tristitiae, indignationis, ire,
gravior.

Catarrhis, rheumatismus, spasmus, con-
vulsio, achores suppressi, arthritis
vaga: paralysis l. hemiplexia musc.
alterius lateris.

Colli ictus, contusio, vulnus, combusio
gravior: cicatrix profunda, rugosa,
strictior.

Venerea, Mercurialis malignitas, ob-
structio, irritatio.

Vertebrarum colli subluxatio, caries.

D I A G N O S I S .

*Pathognomonice, per defini*tio*nem. & diffe-*
rentias supra.

l. cum,



L. cum, *I.* sine tensione, tractione dolorifica, stupore, tumore externo.
Rotatio l. gyrationis capitis, atque flexio in latus alterum plus minus impedita.
Spasmodicum, aut ab alia violenta tractione, non sinit, *I.* saltem dolorifice, caput manibus erigi, paralyticum vero facile.

P R O G N O S I S .

Chronicum, rebelle, ordinario est.
Inveterati tamen curae felicis suppetunt historie.
Si a rheumatismo, spasio, facilior cura.
Si a nativitate, paralysi, carie difficilior.
Si a corrugato, *I.* per ligamentum p. nle. tenso musculo, una incisione, satis profunda, subito restituuntur caput.
Subitanum in febre, c. difficile deglutitione, nullo tumore existente, lethale. Hipp. S. IV. §. 35.
Metastasis ad spinam dorfi. Plater.

T H E R A P I A : I N D I C A T I O N E S

Morbi: *Obliqui capitinis reducere in rectum.*
Causarum: obstructions referare; afluxum materie peccantis revellere, derivare, evacuare: stricturas spasmaticas relaxare, emollire, demulcre: atonia & paralysi laborantes partes roborare: Dyscrasiam humorum corrigere, specificam scorbuticam, Venereum specificis tollere.
Symptomatum:
Dolores nimios mitigare, sopire.
Convulsionibus statim obviare ire.

F O N S D I A T E T .

Refrigeratio colli, subitanea maxime, cavenda, illudque potius tempore calore perpetuum fovendum.

Tom. II.

Victus tenuis, intidens, &c. causa & subjecto accommodus.

Salita, aeria, flatulenta, vinum (excepta atonia) cerevisia crassior, vintanda.

Mulsum commendat experientia.

Ira, tristitia proscribantur.
Motus corporis placidus, frequens, equitatio:

Decubitus in lecto rectus, supinus, latere affecto pulvinaribus suffulto exaltato, conducunt.

F O N S P H A R M A C E U T .

Evacuantia:

Leniter purgantia, frequentius

Diaphoretica.

Apophlegmatizonta.

Alterantia:

Aperitiva incidentia: *Salia neutra*, *Cinnabarina*. *Mercurius d. Millep. pp.* Rad: *Ar. p.* - *Ir: fl. Castoreum. Succinata. Rad. Sar-Sep. Chin. L. Sassafr. Spir: Sal: Animon. Aquae, minerales Tainacens. Selterian. Mixt: S. L. Tinct: Antim: acr. Empl: reg: B. de - Ran. c. Mercur: Vig. diaph. M. - de melit. - de beton. Spir. Vin: camph.*

Antispasmodica: *Nitrosa. Pulv: Mar-ch. epilept: Myrs. Liq: C. C.succ. Ol: animi. Dipp. Sal. vol succin. Extr. pepon-castor. - Papaveracea: Cinnab. Antimon. rectif. Extus emollientia: Ol coct. castor. Jumbr. - e. Fl. Slot. Axungia castorei, hominis Unge. de alth. - nervin. Augustan. De hyosc.*

Catapl Fatus emoll.

Tonica, roborantia, analeptica.

Tincture Martiales, Tinct. Antim: acr. Liq. C. C. succin. Herb. Salv.

D d d cha



chamædr. chamæpit. beton: stoech
arab. Schœnanth. Fl. antbos, -ros.
r. Mastich. Olib. Ambrata. Croc.
Solis. Aq. mineral. Martialis Swal-
bac. Überkingens, Bergens. &c.
Thermae, l. aperitivæ, l. emollien-
tes, l. Tonicae, pro re nata, per
inseffus ad nucham usque & em-
brochas.

F O N S C H I R U R G.

Frictiones colli, nuchæ, spinæ dorsi ca-
lidæ.
Inunctiones debinc e supradictis.
Cucurbitulæ scarificatæ in dorso, hu-
meris.
V. S. revulsoria in pede, derivatoria
in jugulo.
Vesicatoria in humeris inter scapulas.
Hirud. applicatio ad anum, in suppres-
sis, turgentibus hemorrhoid.
Foniticulus brachii, lateris affecti, in
cararrhosis &c. setaceum in nucha.
Clysmata emoll. nervina, alvo sicce,
medullæ spinali circa lumbos & in-
ferias affectæ.
Sustentatio capitis in situ recto, ope
manuum, fasciarum, machinarum,
continua, diurna, valida.
Corrugata cutis, & strictioris cicatri-
cis incisio, dilatatio.
Platysmais myod., Ligamenti p. nlis.
Mastoidei, constringentis, detrahentis,
discissio plenaria super sterno &
clavicula, ope scalpelli, forsicis,
circumspecta, simultanea, totalis.

Subluxatio capitis & vertebrar. colli
scite corrigenda, citoque.

C A U T E L Æ P R A C T.

Status stricturæ spasmodicæ & laxitatis
paralyticæ probe distinguendus.

Aliquando medela potius lateri oppo-
sito adhibenda. Morbo primario, fa-
miti, precipue occurrendum.

Vis embrocationis caute moderanda.
Dissectio musculi tensi simultanea &
totalis sit, ne fibræ reliquæ integræ
convulsivam incurvant tractionem.
Hinc & escharotica minus tuta, nec
apta.

Sub incisione vasa colli majora caute
vitanda.

A U C T O R E S.

Arnold. Bootius de affect. omisſ. C.
V. p. 14.

Henr. Meibomius in præfat. ad Boot.

Nic. Tulpius obs. med. L. IV. C. 58.

Ant. Nuck in Exper. chir.

Job. à Meekren in obs. med. chir.

Henr. à Roonhuysen Heyl-Curen. obs.
22.

Fel. Platerus obs. L. I. p. 133.

Wepfer. in obs. de affect. capit. obs. 3.
64.

Gaul. Ballonius consil. medicinal. L. I.

Christoph. Ræslerus in E. N. C. Dec.
I. ann. 3. obs. 324.

Salzmannus in Act. phys. med. vol. II,
obs. 98. &c.

T A N T U M.

DE



P R A E F A T I O.

Plurimis quidem, eisque gravissimis, circumsepta est difficultatibus dogmatica medicinae theoria, ac judicosa praxis; Crucem vero inter has maxime figit specialissima & individualis causa morbificae, quam vocamus, inimediata, latentis, obscurae, intricatae, ac ejusdem subjecti, cui inheret, sagax indagatio. Sicuti vero non, nisi sublata causa, tollitur effectus, ita omnes ingenii ac judicii vires intendere medicum oportet, ut eam, si non demonstrativa, probabili tamen quavis ratione prudenter eruat. Jure igitur meritoque dolemus in quamplurimis medicorum scriptis diversarum adeo & numerosarum unius ejusdemque affectus morbifici, in diversis agrotantibus olivarum causarum neque distinctam satis, neque claram ut plurimum haberi semioticam: imo ex ipsis historiis medicis, satis persuictorie passim conscriptis, ne quidem a sagacissimo vel ipso Aesculapio verosimilem vix, nedium certam excuspi posse theoriam, ob insufficientem & mancam phenomenonorum emanationem.

Quam ob rem & opere pretium facturos existimantur, qui obscuras atque riores morborum causas clariori luci data opera, & nos presenti: hoc specimine, quod singularem deglutitionis impeditae ac abolite causam pertractat, aliquam a benevolo lectori gratiam inituros speramus.

Per deglutitionem intelligimus illam in economia humana actionem, e naturali ac animali [a], mixtam, qua mediante ad faecium ijsbum appellationia solida ac fluida, in decenti proportione ad commensurabilitatem constituta, per canalem cesophagi descendunt, deprimuntur [b], & in ventriculum naturaliter promoventur [c]. Quam varia autem huic deglutitionis actus natura-

[a] Scil. quæ partim voluntibus nobis instituitur, dirigitur, modificatur: partim etiam noentibus & non advertentibus perficitur.

[b] Assumpta, solida maxime, non simpliciter & sola vi gravitatis suæ descendere per cesophagum evincunt hujus structura musculosa, coarctatio circa orificium ventriculi superius, experimenta ac observations practicæ. Videtur id etiam innuere deglutitionis etymologiam, cuius nempe primitivum est obsoletum illud glutio, descendens a glu, quod idem est ac stringo.

[c] Hæcque est deglutio perfecta, κατ' ἔξον διcta. Imperfecta & semiplena possit dici, quando in cesophagum deglutita exentur hujus foramine p. n. ac vulnere in cavum pectoris aut abdominis. Qualem casum vidit Praes in cadavere phthisici, arrosi scil. & erosi cesophagi, ac sua alimenta & medicamenta eructantis in cavum pectoris. Imperfectæ deglutitionis specimen præbet nostrum quoque thema, ubi deglutita non penitus in ventriculum perveniunt, sed, obice posito, proprius vel remotius a ventriculo, morantur & hærent in cesophago, donec vomitu rejiciantur. Impropræ & analogice saltæ deglutio vocatur, deviatio & illapsus ille solidorum vel liquidorum intra laryngem & asperam arteriam, wann einem etwas in die ungebte Kehl gekommen; suevic idiomate nostro vocamus das Verkurnen. In nulla alia

D d d 3 lingua.

